



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

X. De quodam dæmoniaco à legione miserabiliter possesso, cui gratia Saluatoris mirabiliter salutem reddidit ad memoriam Martyris Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

est traditus. Quo urgente nimis furibundus, & iam catenatus ad sanctum Emmerammum trahitur, ac in choro ad columnam ligatur, quo cum fratres conuenissent, & pro eo flebiliter orassent, interdum clamore adstantes perterrendo saltabat, interdum supinus iacebat. Nouissime eum diabolus in aëre suspensum tam diu tenuit, quousq; fidelium votis & maxime B. Emmerammi patrocinii ei succurreret maiestas diuinæ pietatis. Tunc demum relapsus in pavementum per dæmoniacam discerptionem erecto collo cœpit euomere cruorem cum sanie. Qua cum plastrum horribiliter esset pollutum, spurcorum Princeps subito omnem spurcitiam inde auferens, secum ad vitream fenestram sustulit, quam ob exitus signum comminuit, & sic inter spirituales nequitias, euanuit. Ille autem homo multos fecit annos in graui pœnitentia, exercens nudipedalia, in summa rerum miseria. Sancte Emmeramme à sancta Trinitate triplici hoc miraculo honorate, pro nostris intercede negligentis, apud eum, cuius clementiam nulla mortalium superant delicta.

X.

Inter innumera casuum humanorum infortunia valde miserabile ac magis flebile videtur & est, quod in homines, quorum possessor esse debet DEVS, vt propria domicilia intrat humani generis inimicus. Sed id reuera occulto & iusto fit DEI iudicio. Traduntur enim interdum huiusmodi propter peccata carnis in interitum satanæ, vt salui sint spiritus in die dominici aduentus. E quorum vnus GESTILIVB vocitatus, hospitibus pessimis permisus, nobilis genere, sed vbiq; miser multiplici dæmone, intus diaboli, foris catena ligatus ferri, per plura Sanctorum loca mundandus deducitur, sed minime absolutus re-
ducitur. Demum diuina miseratione hoc, vti voluit, di-
stante,

Et ante, venitur ad S. Emmerammum, talium dono cœlesti liberatorem magnificum. Vbi geminis deinctus catenis, adeo extitit bestialis & immanis, vt à trium viris dextra læuaq; pari numero diuisis, vix ab interitu sui, nec non aliorum posset cohiberi. Cumq; diu oratum esset pro eo & multis foret horroni & exemplo, ante confessionem beatissimi martyris hospes hispidus & horridus nomen confessus legionis, eiectus est ab hospite antea sibi charo, sed tunc martyris precibus admodum amaro. Tum videres, mirum in modum, si adesses, hominem paulo ante per alienas vires ossibus & neruis distentum, subito mediocri gestu corporis contentum, vno eodemq; momento destitutum propriis viribus & restitutum. Is ergò Sanctorum, quos pro miseria releuanda petiuerat, charitate, beato Emmerammo donatus, per eundem dulcissimum patronum gratificatur DEO, simulq; omnis plebs HIATOSPOLITANA coniubilat cum eo. Pro hoc domine dominorum, & aliis potentia tuæ miraculis, generatio præsens & futura laudabit opera tua. Magnificentiam gloria sanctitatis tuę loquentur, & mirabilia tua narrabunt & virtutem terribiliũ tuorũ dicent. Cum quibus & nos humiliter ac supplicatiue dicim⁹: Emmeram̃o testi tuo fideli concede salutem omnium nostrũ.

XI

Merita B. Emmerammi martyris quantum valeant in presentia omnipotētis, testatur iã plusquam per trecentos annos LAMBERTI misera generatio tyranni. Cuius è stirpe vnus die quadã cum aliis patroni nostri petens Ecclesiã cum intrare tentarent in ipsi⁹ atrij, quod huic adhæret medieta- te, subita prohibi⁹ est cæcitate. ibi dum deuiando manibus palparet, ac pedibus offenderet, à transeuntibus quis esset, quid pateretur, interrogatus, & gen⁹ infœlix, cum casu profellus, eorum consilio & ducatu atrium est egressus. Qui

MOX

Plusquã 300.
aũ post S. Em-
mer. Lamperti
tyranni gene-
ratio.